

120

Cingliadas testor, qui si modò siverit Argus
Centeni hæredes luminis esse volunt,
Et tamen in Christi sanctissima & ultima verba
Præstigiis homines infatuando vafris.
Hei mihi! quas apinas? quas tricas? unde nec ipsi
Nec quivis ipsos Thessalus expediat,
Est glossata fides illis, Deus immò pusillus
Est ratio, & privi pectoris arbitrium.
Hic ait; hic negat; ille novum novus ipse refellit,
Hunc adversum omnes ardor & error agit.
Si placitum est, coeunt rursus: sic sentio, *in illis*
Quod constans inconstantia sola fiet.
Hoc quia te, nostro *Mentzero* præside, notum est
Publicitùs docto velle probare gregi;
Cur non, mi *Friderice Faber*, tibi grater, & inde
Mentzeri in laudes totus & omnis eam?
Res dubia est. Hujus sum certè laudibus impar:
At tua, quo fit iis æmula fama, precor.

M. Tobias Heroldus Halberstad. Saxo.

FINIS.

